

evangelizantur, quod his non minus est, & pauperes evangelizantes. Hac magistri rigorem, hac præceptoris comprobant veritatem, quoniam inter nobiles, & ignobiles apud Deum, qui salva e potest, æqualis est Expende illud, Quod his non minus est pauperes evangelizantes.

57. Velle comedere de fructu scientiæ, valde perantiquum malum est à prima nostra radice, ac Parentibus proveniens. Præcepit Deus Adæ: Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientia boni, & mali, ne comedas; in quocunque die comederis ex eo, morte morieris. Gen. 2. n. 16. ex quo mirificè laudat D. Gregor. Nazianzeno.

D. Basilium oratione habita pro ipso, & ait: Adam Dei manu, ac deliciarum paradisi: & prima lege dignus habitus est: tamen ille præceptum minime servavit: Basilium autem, & illud accepit, & servavit; nec enim ex scientia ligno commodi quicquam accepit. Postulavit Deus præceptum Adamo, ut de scientia ligno non comederet; ac ipse creatus in statu innocentia, ac in tanta perfectione; non potuit se cohibere, etiam durissima pena imposita, quin de fructu scientiæ gustaret, ac cibum caperet, ex quo mirificè laudatur D. Basilium, eo quod cum præclarissima, & excellentissima scientia replendesceret, nil commodi, ac lucri ex ea accepit, nec reportavit, non querens aliquid sui, sed quod Domini sui erat. Nihil Domini suum fecit, quod valde rarum, ac singulare est, & quanto rarior invenitur, tanto beatior est qui invenit. Vide tom 3. in Evangelia, cap. 13. q. 26. & 16.

Matt. 23. n. 48. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit Dominus venire.

Num. 49. Et cœperit percutere conservos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis.

Num. 50. Veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat.

Num. 51. Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus, & stridor dentium.

VERSIONES.

Syrus n. 48. Tardat adventum suum, Dominus meus morabitur.

Arabicus. In longum pertrahat adventum.

Persicus. Et cœperit cedere, & cruciari.

Syrus. Et fuerit potans, & edens cum turbulentis.

Aethiopicus. Et cœperit percutere socios ejus, filios, & filias, & servos Domini sui.

Syrus n. 25. In die, quam non novit, nec expectat.

Origenes. Ad horam, quam non expectat.

Syrus n. 51. Et ponet partem ejus cum assumentibus vultum.

Græc. ex Guid. Et dissecat eum.

S. Eppiphani. Servum ipsum in duas partes secabit, ponet, &c. cum infidelibus.

Aethiopicus. Et condemnabit eum, & tradet portionem suam.

Persicus. Et dentium collisio.

EXPOSITIO V.

**M**ULTIS, ut notant Sancti Patres, Chrysom. Palchaf. Alb. Magn. ad sumam vigilantiam diei iudicii, tam universalis, quam particularis, nos exhortatur Christus, ut pote ad rem necessariam, in qua totum negotium nostræ salutis pendet. Primò, ex inopinato diuino in diebus N. & Secundo: ex parabola furis noctis adventantis, Tertio: ex præmio proposito servo fideli ac vigilantissimo. Quarto ex pœna imposita servo infideli, & negligentissimo, qui apud se statuit: *Moram facit Dominus meus venire*; seu ut habet Persicus, *in longum pertrahat adventum*.

Cœperit percutere conservos suos; quia fortè monita salutis dabunt, ac ad rectam administrationem exhortabuntur: percutere, seu ut legit Persicus: *Cedere, & cruciari*: Arabicus: Persicus: *Cœperit percutere socios, filios, ac filias*: scilicet Domini sui, quod D. Augustin. tribuit ejus superbiae, ac si arrogantia, qua se vult super conservos erigere, ac si esset illorum Dominus, super eos domina um habens. D. Chryf. Lyt. adscribunt ejus crudelitati contra charitatem, ex ejus defectu veniunt omnia mala in proximos; *manducet: & bibat*. D. August. ob ejus nimiam luxuriam. D. Palchaf. D. Remig. dicunt, quod in hoc ostenditur ejus infidelitas in dispandis bonis Domini, nihil de ejus adventu cogitans. *Cum ebriosis*, id est, cum malis, ac pessimis hominibus, gula, ac intemperantia de d'is: Gula fomentum torij prævaricationis. Ex quo Origenes, Rabbanus, Albert. Magn. arguunt Episcopos, & Prælatos; qui non ut conservi ministrant, sed quasi Domini, & frequenter ut amari Domini per vim dominantur, & non esurientes suscipiunt, sed epulantur cum ebriosis. Ita Origenes.

*Et veniet Dominus in die, qua non sperat*. Syrus: *In die quam non novit, nec expectat*. Origenes: *ad horam quam non expectat*. Sequitur Textus, & *dividet eum*. Græcus; *dissecabit eum*. D. Hieron. in partes, sed separabit eum ab electis suis, sicut Pastor segregat oves ab hædis; alii exponunt; *Dividet eum*, per mortem, in qua anima separatur a corpore: *partemque ejus*; id est, ejus sortem: *maledicta pars ejus in terra*, Job. 24. n. 18. *ponet eum cum hypocritis*: id est, hominibus iniquissimis, ac pessimis, & ponent hypocritam in exemplum, ut omnium iniquissimum. *Illic erit fletus: & stridor dentium*: fletus ob ingentis sumi copiam, stridor ob vehementem frigoris, de quo multa dixi tom. 4.



CAPUT XXV.

**T**UNC simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam Sponso, & Sponsæ. 2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. 3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. 4. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. 5. Moram autem faciente Sponso dormitaverunt omnes, & dormierunt. 6. Media autem nocte clamor factus est; Ecce sponsus venit, exite obviam ei. 7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades suas. 8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. 9. Responderunt prudentes, dicentes: ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. 10. Dum autem irent emere, venit Sponsus; & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. 11. Novissimè verò veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. 12. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. 13. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. 14. Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. 15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundum propriam virtutem: & profectus est statim. 16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. 17. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. 18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. 19. Post multum verò temporis venit Dominus fervorum illorum, & posuit rationem cum eis. 20. Et accedens, qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. 21. Ait illi Dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. 22. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine duo talenta tradidisti mihi: ecce alia duo superlucratus sum. 23. Ait illi Dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis: super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. 24. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es: metis ubi non seminasti, & congregas, ubi non sparsisti. 25. & timens abiit, & abscondit talentum tuum in terra: ecce habes, quod tuum est. 26. Respondens autem Dominus ejus, dixit ei: serve male, & piger, sciebas, quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi. 27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. 28. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. 29. Et inutilem servum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium. 31. Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. 32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. 33. Et statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. 34. Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. 35. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me. 36. Nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me. 37. Tunc respondebunt ei justi dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, & pavimus? Sitientem, & dedimus tibi potum? 38. Quando autem te vidimus hospitem & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? 39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? 40. Et respondens rex dicet illis: Amen dico vobis, quando se istis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. 41. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus? 42. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum,



porum 43. hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me; infirmus & in carcere, & non visitastis me. 44. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere: & non ministravimus tibi? 45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. 45. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.



ARGUMENTUM CUM Remissionibus.

Superiori cap. à n. 36. usque ad finem illius quatuor documentis, ut notavi in fine ipsius cap. num. admonet Christus D. suos fideles ad assiduam vigilantiam ob incertum, & incognitum diem adventus iudicii, pergit nunc ad eandem vigiliam exhortandum duabus parabolis, una de Virginibus, altera de Talentis.

Primò, Vers. 1. Proponit parabolam de decem Virginiibus, quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudentes: quod explicavi tom. 4. cap. 51. Secundò, V. 14. Proponit parabolam talentorum, quæ Dominus distribuit per servos ad negotiandum, in quo servi boni lucrati sunt, & duplicaverunt talenta; quod expendi tom. 4. cap. 51.

Tertiò, V. 24. Introducitur malus servus, qui accepto talento nihil lucratus est, & contra Dominum suum obmurmurat, quod hinc est explicandum.

Quartò, V. 31. Totam rem manifestat, & explicat Christus D. totamque extremi iudicii ideam proponit, ultimamque sententiam tam in bonos, quam in malos profert; quod totum explicavi tom. 4. cap. 50.

Decem Virgines.

QUÆSTIO I.

Quare Virgines exeuntes obviam sponso, ac sponsæ, rot sunt fatuæ, quot prudentes?



1. Christus in præsentī, n. 1. Simile est regnum celorum decem virginibus, quæ exierunt obviam sponso, ac sponsæ: quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: Quod Evangelium explicavi tom. 4. n. 51. Nunc adde, Quod hic in præsentī ponitur sponsum, & sponsam, Communiter intelligitur per Sponsum, & Ecclesia per Sponsam; tamen D. Hilar. ait: Sponsum, & sponsam Dominus noster est: Proindeque Dominus Jesus sub nomine sponsi, & sponsæ significatur. Sponsum ob fortitudinem, ad tuendam, ac gubernandam suam Ecclesiam, illiusque filios; Sponsam ob fecunditatem parienti filios, ipsi que generandi. De viris Sanctis, ac Apostolicis ait Isaias 26. n. 28. Concepimus, & quasi pariturimus, & peperimus: & cur generosissimis viris attribuitur, quod proprium sponsæ est concipere, & parere? Nollet D. Cyrill. Alexandr. in Isaiam lib. 5. c. 61. prope finem ait: Sancti comparandi sunt sponso, & sponsæ, propter fortitudinem, & præterea ob fecunditatem.

Aliter Sponsum, & Sponsam interpretatur ex D. Hieron. Richard à S. Laur. lib. 4. de laudibus Mariæ: Exierunt obviam sponso, & sponsæ: Lau. id est, Christo, & Mariæ: sed statim laboratur difficultas, nam subditur: Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes: & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obviam ei. Ecce hic solus sponsus venire dicitur, id est, solus Christus, & nulla de sponsa, seu Maria fit mentio? Antea cum veluti essent præparatæ cum suis lampadibus, & exierunt obviam sponso, & sponsæ, veluti ad sponlationem; & gaudia, ac tanquam ad recipiendam mercedem, ibi nomen sponsæ, seu Mariæ ponitur, modò verò dormitaverunt, & dormierunt omnes, & vox illa sonat: Ecce sponsus venit, exite obviam ei: veniebat scilicet Christus ut iudex ad iudicium, ut fatuis debitam pœnam daret. Ibi absentia Mariæ supponitur, ab eius enim præsentia totius rigoris severitas exulat, ac totius pietatis, ac clementiæ fons dimanat. Pro quo vide multa verb. Maria, in nostris libris.

Tamen quæstio principaliter inquit, quare dicantur quinque fatuæ, & quinque prudentes, & fatuæ ponuntur primo loco de communi hominum usu, de quo venit, quod nesciens, & fatuus primum teneant locum. Cur ergo dicantur totidem fatuæ, ac prudentes, cum

cum satis experientia notum sit, quod incomparabiliter major est ignorantium multitudo, quam sapientum paucitas. Unde dicitur Ecclesiast. n. 15. Stultorum infinitus est numerus: & cum Christus quæreret apud partes Cæsareæ, quem dicant homines esse filium hominis? dicunt Apostoli: Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis: solus Petrus sapienter scopum attigit: Tu es Christus filius Dei vivi. Matth. 16. n. 16. Multorum etiores referuntur, & inter eos solus Petrus veritatem testatur:

4. Respondeo, quod omnes istæ, tam fatuæ, quam prudentes erant Christo desponsatæ, ac consecratæ; tanquam si viverent in religione, & ideo dicuntur exire obviam sponso, ac sponsæ; & quamvis qui sæculo serviunt, ac militant, multò major sit multitudo stultorum, ac damnatorum, quam numerus prudentem, ac iustorum, cum tamen hæc decem virgines essent Christo desponsatæ, exierunt obviam sponso & sponsæ: ideo non major, & amplior numerus in eis assignatur, sed æqualis cum prudentibus quia quamvis essent Virgines, & desponsatæ Christo, cum prudentibus simul eodem claustris viventes; non eis profuit diligentia prudentium, qua ornaverunt lampades suas: sed seiant, quod ob suam negligentiam æqualiter possunt damnari, ac condemnari, ut prudentes sua assidua cura salvari: non quilibet se existimet securum, ex eo quod sit in Ecclesia, monasterio, ac Religione, habitus non facit monachum, sed bona conscientia in Deum germinat salutem.

5. Nostra Thesis optime probatur ex fine superioris cap. 24. Ubi introducuntur duo servi, unus bonus vigilans super adventum Domini sui; & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum: qui cum fideliter se habuisset in bonis sibi commissis, cum constituit Dominus super familiam, at iniquus servus cum minime de adventu Domini sui cogitasset, & manducaret, ac biberet, luxuriosè vivens, Dominus hora, qua non putavit, venit & dividit eum, partemque ejus ponet cum hypocritis, illic erit stercus, & stridor dentium. Ecce duo servi ambo de Domini familia, ac domo; unus ab ipso sublimatur, qui vigilans fuit; alter verò negligens, ad tartarum damnatur. Matth. 24. n. 51. Unde hoc? ex vigilantia, vel negligentia parum prodest esse in domo Domini, ac de familia illius. D. Paschas. lib. 11. de iniquo servo, ait: Servus erat, sed malus servus, & inde à Domini familia patrocinium non habuit: sic & Giezi Elisæi reportavit lepram, & tamen ab illa domo salutem Syro manavit; huic fides dedit salutem, illi perfidia intulit lepram; ut supra notavi ex D. Ephrem; cap. 23, q. 11. n. 88.

6. Deplorans Oseas Propheta miseriam Israël, cap. 4. n. 16. Quoniam sicut vocat lascivius declinavit Israël: alii legunt, Divertit Israël à via sua: Israël domus Dei erat; Regnabit in domo Jacob: tamen cum esset in domo Dei, declinavit tanquam vacca lascivius, quæ ob diversa pascea multa diverticula quærit, facileque rapitur à diversis herbis, quæ obiciuntur, ut recto tramite relicto, diverticula quærat, ut præcipitur; sic se habuit Israël, qui cum in domo Dei esset, sub multisque Sanctis documentis: tamen ob voluptates, ac delicias devia-

vit à via recta, & ad extremam ruinam venit: Cum in via sancta ambularet: ait Carthusianus, à rectitudine via Dei per omnium diverticula vitiorum enormiter vagando: justitiam perdidit, & omne malum invenit.

QUÆSTIO II.

Quare vos sponsi, quæ dulcedinem indicat terribiliter sonat?

7. Ait Textus in præsentī: Media nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obviam ei. Valde familiare est Sacræ Scripturæ, ut cum Dominus ad judicandum procedit; dicatur descendere, ut ipse post lapsum veniens, iudicatus Adamum, Genes. 4. n. 8. Audivisti vocem Domini deambulantis in paradiso: ad confundendam linguam turrim ædificantium. Genes. 11. n. 5. Descendit autem Dominus, ut videret turrim, & civitatem. In quinque illas civitates luxuriantes, torpiter animadversus ait Genes. 18. n. 21. Descendam, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. Sic in novo testamento cum de extremo iudicio est sermo Luc. 11. n. 47. Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenientem se facientem, ibidem n. 48. Veniet Dominus servi illius in die qua non sperat: & in præsentī ad decem Virgines, ecce sponsus venit: & multi aliis in locis. Ad quid ergo dicitur venire ad judicandum, ac ad puniendum, cum ipse de Cælorum habitaculo, ac suæ majestatis solio cuncta, ac universa videat ut dicitur Psalm. 32. n. 21. De celo respexit Dominus super filios hominum: & Apostolus Hebræorum 4. n. 13. Omnia sunt nuda, & aperta oculis ejus.

D. Basil. in Expositione ad citatum Psalm. 32. ait: Quod Deus ad beneficiendum dicitur prospicere de celo, ad puniendum descendere, & venire: & subdit rationem D. Basilienus, Quia beneficiendi causam a se ipso, ad puniendum verò ab hominibus desumit. Secundò, quia ad judicandum requiritur summa attentio, ac suspensio, & operum examen. Tertio: ait Cajetanus ad citatum cap. 3. Genes. ad indicandam ejus supremam providentiam, quæ non solum versatur circa ea, quæ sunt in cælis, sed etiam circa inferiora, quæ in terris aguntur. Quartò ad indicandum illam supremam, & altam pacem, & gloriam Empyrei, à quod abest omnis districtioris iudicii horror, & eliminatur omnis pœnæ severitas.

Tota quæstio principalis est, quomodo vox sponsi, quæ tota suavis & dulcis est, unde dicebat illa Dei dilectrix: Sonet vox tua in auribus meis; hic sit terribilis, & horribilis: Ecce sponsus venit, ut ponderat D. Ephrem in metro secundo de Antichristo, & ait: Vox item tubæ audietur, horrendam illud occinens, dicensque: Surgite, qui dormistis, ecce venit sponsus. Ecce cans, est resonat vox Divina Sponsi adventientis, quæ in principio dicitur tremenda, & formidolosa, cum adventus sponsi totus sit amabilis, dulcis, ac gratosus & affabilis? Vox illa erat vox divina advocans, quæ cum primò auditur, formidolosa est, & terrorem ingerit, postea verò tota dulcis & molleca est: Interverunt cum eo ad nuptias.